DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE HYGIENE QUAM AD MEDICINAE...

Johann Georg Hechenberger

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
HYGIENE
QUAM
AD MEDICINAE DOCTORIS INSIGNIA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
CAES. R. UNIVERSITATE PATAVINA
PUBLICE HABUIT

GEORGIUS HECHENBERGER
TYROLENSIS

PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXXXIV.

Sub illo rerum statu, sub quo nunc versatur major gentis humanae pars, ubi nondum genito parentum peccata vitae imbecillitatem praeparant; ubi nascentem obstetricis ineptiae, matris, ubera denegantis, crudelitas, nutricis negligentia, crescentem educationis perversitas, juvenem veneris praematurae, immodicae abusus, virum negotiorum moles et atrae curae prosequuntur, ubi aeris corruptio, nutrimentorum depravatio, desidia aut labor nimius, contagia innumera, in hominis perniciem conspirant; ubi ratione inculta, sensuum mollities eum seducit, imaginationis luxuria abripit, animi turbae circumagitant; ubi tanta hominum cohors vitam transactam non annorum, sed morborum metitur numero; ubi infracta virtus corporis vitalis tot et tantis resistendo malis minime sufficit; sub hac rerum conditione incerta admodum est hominum salus et vita, et magnopere urget ad medicinam refugium, quae altera manu spem ducit, fidelem miserorum amicam, altera Hygieam, et cujus imperio obedire non recusant inexorabiles ceteroquin Parcae.

Phil. Carol. Hartmann.

ILLVSTRISSIMIS · AC · MAGNIFICIS

DOMINIS · DOMINIS

STATIBVS · TYROLENSIBVS

FAVTORIBVS · GENEROSISSIMIS

TENVE · HOC · STVDII · MEDICI · SPECIMEN

IN · DEMISSAE

VENERATIONIS · GRATITVDINISQVE · PERPETVAE

PVBLICVM · TESTIMONIVM

DEDICAT
AVCTOR
Humillimus.

444

PLURIMUM REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

S T A T U S

FAUTORES GENEROSISSIMI

Quam sincerissima in Vos gratitudine impletus diu ardenter exoptavi, jucundissima mihi fit tandem occasio, Lauream medicam assecuto, gratias pro beneficiis vestris in me larga manu collatis meas maximas publice profitendi! Aequo igitur animo haec mea prima in litteris conamina, Vobis in

publicum meae in Vos gratitudinis ac venerationis summae testimonium humillime dedicata suscipere dignemini, ac quo favore me studiosum ad scientias medicas pro viribus excolendas tantopere excitandum putastis, eundem mihi medico non recusare, quaeso, pergatis. Quo quidem favore vestro generosissimo, ut in dies magis dignus evadam, quamdiu spiritum duxero, me diu noctuque adnisurum esse sancte promitto

Humillimus
AUCTOR.

Hippocratis et Galeni, Opera edidit Charter. Tom. VI.

Pauli Aeginetae, Salubria de tuenda valetudine praecepta Argentorati 1511. 8.°

Avenzar, de regimine sanitatis. Basil. 1580. 12.

Hier. Cardani, de sanitate tuenda libri IV. Romae 1580. fol.

Jos. Quercetani, Diaeteticum polyhistoricum. Parisiis 1606. 8.°

Historia vitae et mortis. Londini 1623. 8.°

De conservanda valetudine. Francof. 1629. 4.

Fr. Hofmanns kurzgefasste, Diaetetica. Jena 1744.

Richter, praecepta diaetetica et materia alimentaria. Heidelb. 1780.

Tourtelle, Éléments d'hygiène à Paris V. 8.°

D. W. Trillers, Diaethetische Lebensregeln. Vittenberg 1786.

Feyoos, Diaetetik, besonders für Studierende übersetzt von C. F. Michaelis Zittau 1790.

A. F. Burdach, Diaetetik für Gesunde. Leipz 1805. 8.°

K. F. Lutheritz, das physische Leben und die Mittel es zu erhalten. Meissen 1808. 8.°

Ph. C. Hartmann, Glückseligkeitslehre für das physische Leben des Menschen. Dessau 1808. 8.°

K. A. S. Förster, Macrobiosis. Harderov 1810. 4.

J. G. Barbier, Traité d'hygiène appliquée à la thérapeutique. Paris 1811. 8.

Dictionnaire portatif de santé. Paris 1812. 8.°
Hufeland, die Kunst das menschliche Leben zu verlaengern. Jena 1798. 8.° liber aureus, nunquam sat commendandus.

P. Aegidius Jais, das Wichtigste in Erziehung der Jugend für Eltern etc. München 1826. 4.

S. A. Tissot, von der Onanie. A. D. L. V. Wendelstaedt. Marb. 1800. 8.

PRAEFAMEN

Quam contra hygienes salutiferas leges in vita communi perpetrentur peccata, et quam graves inde scaturiant morbi etiam me, utut in arte medica tyronem fugere non potuit.

Quare ex diversissimis, quae pro tractatu inaugurali quadrant, argumentis hygieam non inepte me selegisse arbitror. Haec autem materies adeo vasta, quum intra angustos dissertationis limites integra nequeat pertractari, illius momenta nonnulla principalia eo ordine proponenda putavi, ubi quid potissimum in qualibet hominis aetate pro viribus sit evitandum, breviter ostendere studuerim.

Ceterum Lector benevolus, si ex altera parte materiam gravem ac difficilem rite pertractatu, ex altera juvenem auctorem respicere fuerit dignatus: primo intuitu sciet nil perfecti, nil eximii esse hic exspectandum. Ut ergo quam huic primo tentamini litterario neminem denegaturum spero, indulgentiam rogitare non amplius sit opus.

Dabam Patavii die 5.° Januarii 1834.

CAP. I.

DE AETATE INFANTILI

§. 1. Quamquam eximia Imperatoris Josephi II. beneficentia, quae inter alia instituta medica plurima eaque utilissima, etiam artem obstetricam maximis sumptibus excolendam curavit, expulsa rudi et barbarica illa gravidarum et parturientium tractatione, cui antea et matrum et neonatorum morbi quam plurimi debebantur, innumera mala in summum generis humani beneficium oblivioni dedisset: multi tamen contra rationale aetatis infantilis tractamen, et quidem primo quoad victum, dein quoad vestitum, denique quoad medicaminum abusum, et nonnulla alia momenta graves errores adhuc nostris diebus committuntur.

§. 2. Primo ceu fons plurimorum malorum largissimus *propriae lactationis* neglectus, pro dolor! in dies crebrior, vituperandus venit. Matres aegrotas, ad phthisin praeparatas, aut nevropathiis variis muletatas, lactandi negotio semet subducere justum, imo necessarium esse, nemo negabit.

Ast quantam injuriam sibi ipsis et pusionibus deplorandis inferant matres, optima salute copiaque lactis uberrima provisae, et nihilominus ubera prolibus crudeliter denegantes, nil manifestius, ac pessimae sequelae, quibus natura adeo auda-

cem jurium suorum semper punit contemtum, demonstrare valebit. Etenim tam violenta lactis suppressione totius corporis, praesertim vero mammarum turbas periculosas non excitari non posse, ratio suadet et quotidiana confirmat medicorum experientia. Febris laetea, ut voeant, ardens, uberum phlogoses horrendae, suppurationes, devastantes aut indurationes ominosae, quibus frequens futurae mastoscirrhoseos triste germen enascitur, tandem, id quod prae ceteris in ipsius vitae discrimina puerperam naturae leges spernentem saepissime jam conjecit, metastases infelices lacteae sunt fructus horribiles, quos semper tulit et nunquam vita naturae ex diametro opposita ferre cessabit, quasque molestias vix nomine noscit puerpera, naturae legum ut ubique, ita et in neonatorum lactatu nunquam oblita.

Attamen mulieres mollitiem stulte amantes, et in pulcritudine sua diu conservanda perperam occupatae, non solum poena gravi modo dicta ad dulce naturae officium redire cogi non possunt, sed caecitate incredibili puniuntur, ut etiam ipsae proles, quibus cordi materno in toto mundo nil carius crederes, matrum perversitatis immeritas, at diras poenas luant, immotae efficere possunt ac tolerare.

Experientia quotidiana, dummodo audiatur, alta voce acclamat, ex uberum utpote ditissimi et unici pro pusillis prosperae salutis fontis, denegatione injustissima evenire, ut nostro aevo infantium mortalitas adeo exaltetur, ut infantes fere

omnes acrofuloseos, osteomalachiae, blennosis atque helminthiaseos tormentis corripiantur, et corporis totius debilitate per omnem vitam miserrime plus minus soleant vexari.

Quae quidem injuria, qua proles ubera denegando afficiuntur, matres melioris notae minime latet; ast nutricibus, quibus substitutis excusatas se credunt, adeo frequenter proprietates summopere necessariae, non tantum physicae desunt, verum multo magis morales, ut matris locum nonnisi rarissime explere valeant. Ceterum cautelae, quas in nutricis selectu mater provida strictissime habet observandas, nimis sunt multae, quam ut hic loci earum mentio fieri queat.

§. 3. Amor prolium nimius matres haud raro seducit, ut quidquid res domesticae ferant, ventriculo pusionum debiliori obtrudere conentur. Unde multum mali necessario oriri, digestionis turbas, viscerum abdominis infarctus etc., experientia constat. Illarum vero audacia, quae potum arabicum, vinum, aromata, aliaque id genus infantibus sanis, quibus natura nihil, nisi lac, destinavit, exhibere non dubitant, ob sequelas tam manifeste nocivas cuilibet rerum medicarum non penitus ignaro alioquin adparebit valde vituperanda.

§. 4. Quod vestitum incongruum adtinet, primum mos crudelis, pusillos fasciis arctis involvendi, damnari debet. Materculae magni quid fecisse sibi videntur, si misercul0s, quam arctissime potuerunt, fasciis coerceant, ac facie san-

guine suffusa, trunci ad instar, immobiles gementesque pusillos suos conspiciant. Quam autem noxius, quam stultus hic parvulos cruciandi mos sit, sequentes rationes monstrabunt:

I. Fasciarum tam arcte constrictarum pressio ex tota ferme corporis superficie sanguinem versus interiora retrudit. Insuper ipsius thoracis et abdominis cavum valdopere coarctatur eadem pressione. Quo fit, ut non solum in organis nobilioribus pectoris abdominisque circulo sanguinis impedimenta eximia opponantur, sed ut ipsum encephalon fatali sanguinis torrente necessario inundetur. Viscerum infarctus, crebri evolutionem praecocem, lentam encephalitidem cum socio suo hydrencephalo, et similia mala quam gravissima inde oriri, ratione et quotidiana medicorum experientia jam dudum est evictum.

II. Ossa thoracem infantilem componentia, adhuc mollia sunt; quare cuilibet pressioni fortiori cito cedunt, et eo ipso in quamlibet formam facili negotio converti possunt. Plurimos ergo infantes ex dicta causa thorace deformi, complanato angustatoque mulctari, atque ad phthisin horrendam aliosque pulmonum morbos praeparari, idque ex solo matercularum perverso tractamine fieri, ecquis, rationes modo adductas sine praeconcepta opinione animo pervolvens, luce clarius non videbit?

Ut ergo plura alia argumenta sat gravia in medium proferre superfluum evadat. Objectiones, quas vetularum obstinatio profert, adeo futiles

ac ridiculae sunt, ut ne refutationem quidem mereantur. Multos infantes fasciis strictissimis ligatos floruisse dicunt; ast quam multi ex culpa fasciarum aut perierint, aut pro vita integra corpus cachecticum secum trahere fuerint coacti, vetularum stultitia nullo modo potest perspicere. Et quum gradatim omnia procedant, utinam eo, ut saltem quam laxissime ac breve per tempus parvulos fasciis circumdent, matres meliora notae perduci possint!

§. 5. Graviter aliae matris eo peccant, quod pusillos lectis mollissimis, totos quantos modo sepeliunt, modo aestuantes et sudore madidos aeri frigido repente exponere non dubitant, et quidem, quod ni experientia loquatur, vix credas, fere nudatos, utpote solum tenui linteolo tectos! Ut quam noxia lectorum mollities nimia fit, quantum nimius calor infantibus noceat, enucleare omittam, de hac subitanea temperiei mutatione pauca non addere non possum. Ipsi adulti repentinam temperiei mutationem raro impune ferunt teste experientia; nam omnem natura odit saltum. Quam male autem infantes tenelli affici debeant tali frigoris corpusculum aestuans et sudans ferientis injuria, catarrhi graves, oculorum phlogoses, anginae, diarrhoeae, erysipelata, exanthemata letali saepe metachoresi retropulsa abunde testantur.

Qua quidem occasione istae obstetrices, quae neonatos, vix utero exclusos, ergo temperiei frigidioris impatientissimos, vel ipsa bruma aspera leviter et negligenter vestitos ad sanctum baptis-

ma deferre audent, summopere debent vituperari. Utinam tales pusilli summa semper cura defendantur a frigore, iis adeo inconsueto, ideoque infensissimo!

§. 6. Tandem ut plures quoad vestitum ineptias silentio praeteream, verbulum adhuc de braccarum usu praematuro addam. Quum braceae, quas vulgo sat aretas gerunt, genitalia continuo foveant nimisque calefaciant, et tali pacto instinctus sexualis evolutioni praematurae, quam quivis sapiens pro viribus conabitur impedire, necessario valde faveant: matres, quae, quam primum pedes figere tentat filiolus, ei statim braceas induere festinant, easque sat angustas et calidas, pessime infantibus consulere patet.

§. 7. Quoniam munditiei in infantium tractamine nunquam satis scrupulose observandae necessitas nulli dubio est subjecta, solum de singulari quoad balnea praejudicio sermo instituatur, oportet. Obstetrices vetulae, sua ipsarum auctoritate superbientes mihi ipsi saepius demonstrare sunt conatae balnea esse omni infanti nocivа. Et quam firmo hoc effatum innitetur argumento?

Ossa infantum balneis emolliri, dicunt, quam stulte in omnibus aliis agere solent tales vetulae, tam consequenter ex hoc effato conclusionem deducunt, omnem ideirco infantem summo balnei beneficio debere privari. Quod vero maxime est dolendum, matres quas ceteroquin non mente captas crederes, his vetulis plus fidei habent, quam medicis expertissimis. Quo quidem fit, ut ego tyro

plures jam viderim infantes per plures annos nullo balneo purgatos, quorum autem babitus cachecticus primo intuitu sapientiae maternae praeposterae clara vestigia prae se tulit. Quando tandem stulta vetularum elogia tanta carebunt auctoritate? Dummodo igitur balneorum temperies valde sit moderata, dummodo infans post balneum a frigore caute defendatur, dummodo non nimis repleto stomacho immittatur balneo, munditiei aliarumque rationum gratia infantibus nil magis, ac balneorum usus, unquam conduxit.

§. 8. Medicaminum abusus uti adultis, ita quam maxime tenerae infantiae nocet. Si quis, quibus vetulae remediis fortibus debiles infantulos adgredi audeant, experientia doctus noverit, vim naturae medicatricem, quae tantas injurias corpori infantili illatas semper expiare insudat, satis admirari nec unquam valebit.

Neonatis, ut ventriculus et intestinula quantócius debilitentur eximie, statim purgans remedium obtruditur, dictitante obstetricis aut vetulae alius praejudicio, ac si, quia in raris casibus, ergo in omni casu meconium expelli debeat. Damnum quod et quantum inde enascatur, fusius enucleare non erit opus.

Vix tinea faciei, achores, aut exanthemata alia efflorescunt, aut id quod frequentissime in familiis praesertim inferioris ordinis accidere consuevit, scabies erumpit, illico unguenta diversa, diversaque linimenta eousque sedulo adhibentur, donec in summum miseri infantuli damnum eru-

ptio cutanea fuerit retropulsa, quo dein vetularum gloria non exigue crescit. Ast tristissimae, quas hujusmodi violenta exanthematum suppressio non excitare non potest, sequelae, nunquam vetularum temeritati adscriptae, semper ab aliis circumstantiis stulte derivatae, saepe infantium mortem, saepissime gravissimos saltem morbos quotidie suscitare observantur; quo quidem fieri solet, ut exanthemata innocua, quae, rite si fuerint tractata, aut mox evanescerent, aut sine periculo, et saepius in prolium emolumentum paulo diutius remanerent, vetularum inscitia a recto tramite ita detorqueantur, ut morbi sanatu difficillimi inde nascantur.

§. 9. Ut jam tristes vetularum temeritates enumerare desinam, de nonnullis aliis ineptiis, quibus pusilli saepe misere vexantur, adhuc mentionem facere non me pigeat. Dantur nempe nutrices et ancillae crudeles, quae ut infans eo citius reddatur quietus, genitalium titillationem adeo periculosam, qua praematurae voluptatis sensus evigilare cogitur, iteratis quotidie vicibus instituere non erubescant. Quanta ergo hoc respectu matris cautela est necessaria!

Praeterea hic illic mos noxius observatur, ut nimirum infantes eo certius, antequam obdormiant, mingânt, matres incautae parvulorum genitalia grato e prunis suppositis adscendenti calore irritant, idque millies quotannis repetere non haesitant. Quid autem instinctus sexualis evolutionem praecocem, et semper ominosam magis

poterit accelerare, ac caloris stimulus adeo efficacissimus? Denique ipsius venenationis periculo pusilli haud raro expositi observantur. More enim atultissimo, infantulos cuilibet osculandos offerendi, quam facile virus syphiliticum, quo praesertim hodierno aevo non exigua pars mortalium est infecta, parvulis tenerrima ubique pelle tectis potest communicari?

Et si quis vasa cuprea, in quibus cibi infantibus parantur, nullo stanno vestita consideraverit, si vitra, unde lac sugi solet, plumbo vestita, quod lacte saepius acescente tangitur, adcuratius examinare non omiserit, an, quomodo fiat, ut per talia metalla venenationes non plurimae inducantur, satis stupescere unquam valebit?

CAP. II.

DE AETATE PUERILI

§. 10. Quamvis etiam puerorum educatio, qualis hic illic observatur, valde perversa, largas corrigendi materias offerat, pressus tamen dissertationis angustiis solummodo duo momenta, quae in hac vitae periodo clarissimis quibusque viris summum respectum mereri semper videbantur, nempe instinctus sexualis evolutionem praematuram sociamque onaniam paulo exactius pertractem.

§. 11. Quanto studio, quanta cura instinctus sexualis praecox evolutio debeat impediri, hic loci ex rationibus physiologicis et pathologicis demon-

strare limites mihi praescripti arctiores vetant, et insuper nemo erit, qui quam malas sequelas praematurae voluptatis sensus in corpusculo imperfecto tenelloque progignat, primo intuitu non perspicere non possit. Et revera omnes omnium aevorum medici et paedagogi melioris notae in eo convenerunt semper ac semper convenient, quod, quidquid utile et idoneum pro puerili aetate agere possis, impediendam instinctus sexualis evolutionem praematuram pro scopo summo et nunquam obliviscendo debeat habere.

En! omnis felicis, quae aetati puerili convenit, tractationis arcanum tutissimum. Instinctus sexualis praecocius evolutus est morbus, quo maxima mortalium pars aevo nostro laborat, teste medicorum principe Hufelandio perquam celeberrimo. Ex hoc autem morbo primario adeo divulgato alter fraterno vinculo junctus secundarius scaturit morbus, nempe tristissima onania, pernicies omnis salutis prosperae certissima.

§. 12. Onaniae autem signa diagnostica, sequelas illius letiferas, praesidia, quibus possit aut praecaveri, aut sanari, pro sua dignitate summa enucleare hic loci ob notas spatii causas jam non licet. Insuper auctores plures habentur, quos sincero hominum amore ductos fusius de hoc contra naturam crimine tractare, et optima uti prophyllaxi, ita et sanationis remedia arto summa proponere non piguit. Ut ergo, si quis eruditionem exactiorem de hoc malo communissimo, et adeo pernicioso cupiat, fontes ei pateant plures

iique saluberrimi, ex. gr. Hufelandii macrobiosis, Tissot immortalis de onania liber aureus, patris reverendi Aegidii Jais libellus supra citatus non sat commendandus, et aliorum opera praestantissima.

§. 13. Quod quidem educationis physicae principium optimum §. 11. si quem cum communi plurimorum parentum agendi ratione attento animo conferre non piguerit, quanta arte filiolis suis viam directam ad certissimum salutis non physicae solum, sed et psychicae interitum sternere parentes ipsi conentur, satis mirari nullo modo valebit. Etenim quidquid genitalium nervos irritare, congestiones periculosas ad partes pudendas provocare, phantasiae imagines obscenas offerre possit, larga manu puerulis saepenumero ex stultitia deploranda suppeditari non omittitur. Potus enim vinosi, cibi carnosi et aromaticis aethereisque principiis graves, potus arabicus, cui stulte assuefieri jam tenera infantia debet, lecti mollissimi, vestes arctae, genitalia prementes irritantesque, vita continuo deses, qua haud raro pueri in seniculos convertuntur, praematura mentis cultura, spectaculorum frequentatio non interrupta, ut alia plurima aeque noxia recensere omittam, an haec sole clarius non demonstrant, Venerem praematuram frequenter quasi summa industria praeparari suscitarique?

§. 14. Ast onaniae imperium non solum divitum proles vexat, verum etiam in pauperum tugurus miserias augere quotidie observatur. Dan-

tur enim nonnulli puerilis aetatis morbi, qui tristem paupertatis sortem fideliter sequentes eamque infeliciter valde exasperantes, teste medicorum summorum experientia jam millies primam onaniae causam praebuerunt: nempe helminthiasis, scrofulosis, blennosis, viscerum infarctus, plethora abdominalis et similia. Utinam in horum morborum tractamine medico, onaniae ceu sequelae frequentissimae semper ratio quam diligentissime habeatur!

Quibus de onania dictis ultimo tandem laudes summas, quas verae religionis cultus etiam qua fidelis custos physicae salutis sibi promeruit semper, et nunquam mereri cessabit, non addere non possum.

CAP. III.

DE AETATE JUVENILI

§. 15. Non adeo multi, ac in prioribus vitae periodis, sat eo graviores contra hygieae monita salutifera errores committi solent in florida juvenili aetate. Quo fit, ut etiam juvenum, quibus ceteroquin ex naturae legibus prosperrima salus arridere deberet, sat largam quotannis faciant messem inexorabiles Parcae.

Quum autem quominus singulos vitae juvenilis hostes periculosiores speciatim pertractare possim, spatii angustiae mihi obstent, solum de Veneris abusu et phthisi pulmonali sermo hic loci fiat, quoniam, quicumque saluti suaa eruditione

adcuratiori bene consulere cupit, saluberrimorum monitorum thesauros ex celeberrimi Hufelandii macrobiosi, quae juventuti nec unquam sat legi relegique poterit, et ex aliis scriptoribus clarissimis supra citatis, facili negotio sibi potest comparare.

§. 16. Non progerminans, non efflorescens, sed penitus perfecta jam satisque corroborata vis virilis usurpari potest. Ita natura provida voluit, aliter voluit homo in suam ipsius perniciem. Etenim corpore proprio valde adhuc imperfecto, processu vitali in proprii organismi evolutione perficienda summopere adhuc occupato, dispendium humoris nobilissimi, quem Venus praematura aufert, quin sequelae pessimae inde propullulent, fieri nullo modo potest. Hoc quidem ratio suadet, hoc millenorum juvenum, qui Veneri praecoci se tradunt, primus testatur adspectus.

§. 17. Quum praeterea Veneris praecox, etsi modicus, usus absque sequelis pessimis, quibus natura justissima leges suarum immemores aemper punit, ferri non possit: quot malis ii, qui semen virile, verum sanguinis balsamum, quo nil utilius ad machinam organicam firmissime corroborandam habetur, Veneri immoderatissimae simulque praematurae impendere non exhorrescunt, ocius serius necessario mulctari non debebunt!

Ceterum experientia quotidiana cuilibet, dummodo penitus Venere occaecatus nondum sit, sceleta ambulantia ceu Veneris beneficae progeniem miserrimam ita multa obtrudit, ut tristissimam talem imaginem fusius delineare superfluum foret.

§. 18. Quod autem maxime est dolendum, Veneris praematurae et immoderatae poenas non soli ipsi juvenes sustinent, verum et ipsae proles futurae, quibus hujusmodi homines macie confecti pro patribus sunt destinati, parentum peccata graviter luere coguntur. Nam suprema est omnis generationis lex:

»Generatum a generante non solam vitam, sed » omnem etiam vitae modum, totius igitur forma- » tionis ulterioris typum et omnis efficientiae ra- » tionem repetere«.

Corpus ergo paternum effoetum, energiae vitalis egenum, Venere emaciatum prolibus easdem imperfectionis notas miserrimas non imprimere non potest. Quanto igitur satius esset, si juventus, aesertim altioris ordinis, librorum romanensium, ut vocant, lectione abjecta, sapientissima Hufelandii nunquam satis collaudandi, Hartmanni incomparabilis et aliorum monita animo reputare vellet, nemo sanae mentis in dubium vocare audebit!

§. 19. Sunt denique juvenes deplorandi, quorum energiam vitalem pollutiones immodicae nocturnae saepe pessundant. Nimia enim verecundia, quominus aut parentibus, aut amico eruditiori, aut ipsi statim medico artis suae potenti occultas suas miserias ingenue fateri audeant, tales in summo prosperae salutis periculo versantea impedire consuevit. Ast quoniam praesidiorum, quibus coerceri talis jactura seminis maxime nociva possit, singulorum expositio debita spatio

angustiore negatur, lectori benevolo, qui de hoc puncto ulterius erudiri desiderat, opera saepius jam laudata adire placeat.

§. 20. Phthisis ultimo pulmonalis, aut uti saepissime fit, Veneris immoderatae filia, aut alius influxus nocivi progenies, breviter hic loci commemoranda venit. Ut signa phthiseos hujus diagnostica ac medelam, ut illius frequentiam, qua quotannis plurimos juvenes crudeli manu ex medio tollit, alioquin justo magis notam, silentio praeteream, pauca solum de momentis ad phthisin hanc disponentibus disseram.

Primo omnium juvenes habitu, ut ajunt, phthisico notati, quem ex incremento totius corporis nimis accelerato, capite minuto, collo longo attenuatoque, laeto genarum rubore circumscripto ac thorace complanato angustatoque cognoscas, strenue commonendi sunt, ut Venere et Baccho abstineant, ut omnem excessum cujuscumque nominis sedulo evitare conentur. Utinam tali structura ominosa mulctati omnes Hufelandium eximium seligant ceu ducem longe certissimum!

Dein pectoris catarrhorum neglectus, quem in vita communi adeo frequenter invenias, qua largus phthisium fons non vituperari non potest. Per annos saepe tussis importuna tales salutis immemores vexat; continuo res ruunt in pejus, et tamen, ut hosti subdolo atque ideo periculosiori armis congruis obviam eant, nullo modo possunt commoveri. Quo dein necessario fit, ut lenta phlogosis transeat in suppurationem superficia-

lem, quae deinde profundiores arrodit partes, donec tandem macies nulla arte amplius tollenda certae morti sero sapientem tradere cogatur.

CAP. IV.

DE AETATE VIRILI

§. 21. Non solum multa, verum et gravissima in hac aetatis periodo contra hygieam committuntur peccata. Mihi autem limites praefixos egredi quum minime liceat, tantum de vitioso vivendi genere maritorum nonnulla proferre animus est. Quamquam enim per sapientissimas matrimonii leges instinctus sexualis characterem nobiliorem ac moralem induat, quamvis plurima matrimonio mala, quae alias ferociter grassarentur, in summum generis humani beneficium e medio tollantur: plura tamen etiam nostris diebus a maritis valde vituperanda adversus hygienem beneficam peragi quotidie observantur.

§. 22. Inter uxores, praesertim inferioris ordinis, plurimae dantur, quarum salus prospera voluptate maritorum nimia injuste pessumdatur. Quis enim credat, ni experientia certa testis praesto sit, gravidas, ipsi partus periodo saepe jam proximas maritorum voluptatis crudeliter avidorum coitu adhuc molestari? Qua quidem satyriasi in quot et quanta pericula matrumque foetuumque salus necessario conjiciatur, non opus erit fusius dilucidare. Abortus enim frequentes, metrorrhagiae horrendae, gravidarum asthenia insignis, abnormea

matricia situs, et similia plurima voluptate adeo stulta non effici non possunt.

§. 23. Dein gravidarum vestitus, qualis in nonnullis locis observatur, thoracem periculose coarctans damnari debet. Sic, ex. gr., apud nostras viget mos, thornaculo duro (vulgo *miederwurst*) pectus fortiter constringendi. Quanto damno corpus tali inepta consuetudine afficiatur, ratio demonstrat, et quotidiana confirmat experientia. Inaequabilis enim sanguinis distributio, dyspnoea, encephalosymphoresis, haemoptoe aliaque plurima inde scaturiunt mala.

Omnium autem pessime se habent gravidae ineptissimo hoc thornaculo compressae. Rationum e physiologia et anatomia petitarum loco, quibus sole clarius summa hujus vestimenti ineptia evinci potest, unicum exemplum, quod revera ipse observandum habui, hic breviter enarrare aptum videtur:

Uxor rustica, habitu teneriori notata, septimo jam mense gravida, corripitur dyspnoea insigni, atque mox sanguinem tussi ejicere coepit.

Haemoptoe hac perterrita ubique locorum auxilium implorat; ast incassum. Ruunt res semper in pejus. Postquam plures jam consuluerat aegra de salute sua desperans, meum quoque consilium petiit. Ingentem abdominis expansionem considerans, et thoracis coarctationem periculosam per idem vestimentum supra vituperatum perpendens, ut, thornaculo suo statim abjecto, pectus liberet compressione ominosa, suadendum censui, atque

ex foro pharmaceutico nil praeter emulsa refrigerantia ordinandum putavi. Neque effectu optimo caruit consilium datum. Etenim vix thorace libere moto dyspnoea disparuit, et haemoptoe uno ictu siluit truncata. Gravida in dies melius se habuit, ac gemellas sanas felici partu in lucem edidit.

§. 24. Aliis praecipue gravidis abusu venae sectionum ineptissimo corpus destruere arridet. Ex alia parte tales materculae haematopoesin summa arte accelerant, potu arabico, vino, spiritu vini et similibus in suam perniciem abutentes; ex parte alia autem, si quovis mense vena non fuerit secta, et sanguis utut, verus vitae fons, libratim non perderetur, conclamatum de se esse credunt. Quid mali ex tam inaudita perversitate fluat, ne verbulo quidem amplius dicam.

§. 25. Sunt denique maritorum adeo duri, ut ne puerperis quidem, quae vix partum absolverunt, non parcere non dubitent. Et si experientia testatur, uxores metrorrhagiis periculosis affectas, aut pulmonum labe ominosa detentas maritorum insuper coitu rudissimo torqueri, quia non tempora summae barbariei redisse auspicetur? Quo quidem necessario fit, ut haemorrhagiae uteri horrendae, nulla arte compescendae, nevroses pessimae, cachexiae tabificae quotannis matres plurimas infantulis deplorandis morte praematura eripere pergant. Si autem vis naturae medicatrix medico bono adjuta matri talibus tormentis afflictatae diutius vitam servaverit, quales proles ema-

ciatas, energiae vitalis egenas adeo debilitata ipsa progignere valebit? Atque sic et mater et infantuli patris saxo durioris poenas injustissimas luere coguntur.

CAP. V.

DE AETATE SENILI

§. 26. Corporis imbecillitas in dies crescens, et mortis furtim irrepentis timor, ut diligentius hygieam venerari incipiant, seniculos cogere consueverunt. Ast nihilo minus qui, quae hac vitae ultima periodo agi solet, vivendi rationem adcuratius consideraverit, frequentissime etiam seniculorum vitia corrigenda inveniet. Ceterum ut ubique spatii angustiae memet presserunt, ita hoc quoque capite solum de uno momento, nempe de Veneris abusu, cui vel ipsi senes se dare non haesitant, prolixius tractare licet.

§. 27. Seniculorum energia vitalis ita jam est labefactata, ut metamorphosis regrediens progredientem, ut destructio partium organicarum constructionem, ut nutritionem resolutio undequaque manifestissime exsuperare incipiant. Languet digestio, haematopoesis retardatur, et rugae undique adparentes designant apertam bonorum succorum inopiam. Quo fit ut fibra muscularis parcissime nutrita, omisso pristino robore, motus solum contremiscentes ciere possit, ut nervus eadem rerum plasticarum penuria pressus muneribus suis rite perfungi recusare cogatur.

§. 28. Hoc rerum statu quid magis ridiculum, quid perversius potest cogitari, quam seniculos decrepitos Veneri inservire non dudum cessasse? Quanto propriae organisationis damno tales caeca Veneris servitute oppressi, succum nobilissimum profundere non exhorrescant, sequelis pessimis quibus natura hos sero sapientes graviter punire nunquam obliviscitur, evidenter demonstratur. Quae quidem sequelae ita necessario ex humoris generosissimi dispendio ineptissimo fluunt, ut fusior earum hypotyposis penitus superflua evadat.

Quod autem maxime organismi interitum accelerat, est spirituosorum abusus, quo vires rapide labentes sustentare conantur. Etenim non sola crapula per se jam satis nocet, sed voluptas potissimum coacta, qua iterum succi nobilissimi perduntur, uno quasi ictu machinam organicam destruere insudat.

Quo quidem evictum est, prosperrimam salutem physicam nemini arridere, nisi sapientissimas fideliter sequenti leges naturae, quas ultra citraque nequit consistere rectum.

Haec pauca, Lector benevole, licet manca, utpote a tyrone conscripta, ast medicorum principum experientia confirmata, aequo animo suscipere digneris, et, si modo cum grano salis ea aequi non pigeat, haud spernenda tibi ac tuis inde commoda nasci nolito dubitare.

THESES DEFENDENDAE

I. Systema vegetabilium sexuale pro botanico tyrone optimum.

II. Resorbendi venarum facultas perperam negatur, et in summum therapiae damnum saepe negligitur.

III. Sub certis circumstantiis datur sanguinis per contagia infectio.

IV. Multo magis est exoptandum, ut pharmaca nota, alioquin jam innumera, exactius determinentur, quam ut novorum fiat venatio continua.

V. Ex spiritus vini abusu endemica Tyrolensium gastroscirrhosis.

VI. Morbi quam plurimi ex inepto vestitu.

VII. Onania tum helminthiaseos, tum abdominis infarctuum frequens progenies.

VIII. Quare onania raro absque armis medicis potest sanari.

IX. Gutta et rheumatalgia essentialiter inter se differunt, id quod in aegrorum detrimentum haud raro negatur.

X. Duo dantur contagia syphilitica, nempe syphilitico-medorrhoicum, syphilitico-phagedaenicum.

XI. Quare morbus venereus non omnis mercurio adgrediendus statim, absque ulla distinctione.

XII. Principium spontaneum et liberum, quale praeest conscientiae et arbitrio libero, nec aegrotare potest, nec mori.